

49

Ad Orationes
**DE BELLO ET
PACE,**

In illustri Altenburgensium Schola,
ad XVI. Martii, horis pomeridianis be-
nevolè audiendas,

Reipublicæ Literariæ Patronos, Fau-
tores, omnesqve Urbis incolas erudi-
tos observanter & officiosè
invitat

M. JACOBUS DANIEL ERNESTI,
Rector.

ALTENBURGI
Typis Gothofredi Richteri, Typogr. Ducal.





PAcem, quã ut magnã industriã judiciiq̃ve ex-
quisitissimi Historicus *Diodorus Siculus* prudenter
judicavit, μηδεν ἴσι, μάλλον δυνάμενον εὐδαίμονα βίον
ἠφσκευασαι, i. e. nihil est vite hominum ad felicita-
tem comparandam utilius, Principibus debere esse

(a) Cic. lib.
VII, ad Ar-
tic, Ep. 14.

(b) Plut. A-
pophth. pag
192.

(c) Liv, Lib.
VII, c. 41. p.
286,

(d) Lib. III,
Sylv.

commendatissimam, ita ut cum amplissimo illo & facun-
disimo Romanorum Consule *Tullio*, (a) vel injustam utilio-
rem aestiment, quam justissimum bellum, apud illos, quibus salus
publica curã cordiq̃ est, extra omnem dubitationis aleam
positum esse arbitramur. Quid quod ii, qui cum *Epami-
nundã* apud *Plutarchum* (b) τὸν ἐν πολέμῳ θάνατον εἶναι κάλ-
λιστα existimant, quando Pacis bona cum belli incommo-
ditatibus componunt, pacem etiam cum vincere possunt, quam
bellum malunt, ut apud *Livium* (c) *Titus Quintius Præfectus*
militum, prudenter ostendit. Bellum enim, quamvis satis
feliciter geratur, non potest non multis cum difficultatibꝫ
& periculis conjunctum esse, & luculentam sæpè victoriã
casus aliquis ex insperatò interveniens, funestam reddit at-
que acerbam. Quo digitum intendisse nobis videtur *Ba-
ptista Spagnolus*, à patriã dictus *Mantuanus*, Poetarum seculi
sui facilè princeps, quando (d) destinato ad *Oliverium*
Carafam carmine, inter alia ita canit :

*Gloria pace minor, minor est victoria pace,
Atq̃ aliquid pejus pace triumphus habet.
Verum*

Verum adductione testimoniorum, tanquam in re meridiano Solis jubare clariori, inpraesentiarum supersedebimus, exposituri potius non nullas ex rationibus istis, quae Principes ad effundendum sanguinem humanum proclives, à bellis temerariis, injustis & non necessariis (neque enim cum Manichæis, Anabaptistis, Plotinianis & Weigelianis, omnia simpliciter bella rejicimus) retrahere debeant, quas inter non postremo loco enumeranda est, *anceps illa & inconstans belli fortuna*, quae cum illis, quos eludere nititur (eludit autem saepissime vel potentissimos reges) *blandissimam ad tempus familiaritatem exercet, donec intolerabili dolore confundat eos, quos insperata relinquit*, ut mentem nostram suis Severino Boëtio (e) explicare liceat verbis. Nullibi enim inconstantior fortuna quam in bello est, unde Mars Homero *ἄλλοπερὶ ἄλλος* audit, quippe qui *ἐυμετρίβλητος*, ac modo huic, modo alii favet atque adheret. Hinc apud Justinum (f) Scythæ, barbara alioquin gens, & ab omni humanitate aliena, non immerito mirantur, Vexorem, regem Ægypti tam stolidum fuisse, ut tam opulenti populi dux, adversus inopes bellum occuparet, *cujus certamen anceps, præmia victoriæ nulla, & damna manifesta essent*. Esto, arrideat Imperatori bellico ad tempus fortuna, blandiatur suaviter una alterave vice victoria, num perpetua erunt blandimenta ista? solent multoties magnæ cladis tempestatem post se trahere, *quot enim in armis vices sunt? quanto illo momento se fortuna in diversissimas retulit formas?* inquit ille apud politissimum Barclajum (g) in rebus polemicis non in exercitatus Archombrotus. Sive, ut oratorum Romanensium Daduchus M. Tullius (h) loquitur: *Incerti sunt exitus pugnarum, Marsq; communis, qui sæpè spoliante jam & exultante evertit*. Insignis ille Polyhistor, inque palæstrâ oratoria cuivis Veterum comparandus,

(e) Boët.
lib. II. Con-
sol. Philos.
Pros. 1,

(f) Justin.
Lib. II.

(g) Barcl.
Lib. II. Argē.
p. m. 273.

(h) Cic. O-
rat. pro Mi-
lon.

(i) Lans.
Consult. p.
m. 497.

Thom. Lansius (i) refert. Regem Sueciæ, cum intellexisset, Elisabethã Britannam, Belgarum atrocitatem palam contra Hispanos suscepisse, in hæc erupisse verba: *Elisabetha Regina capiti diadema jam detraxit, & dubiæ Martis aleæ exposuit.* Sapienter dictum! quid enim aliud agunt Principes isti, qui montes belli fabricantur, quibus alios obruant, quàm ut ipsos se in pericula conjiciant, quibus sæpe numero non absq; grandi damno vix eluctantur. Ex pertus hoc ipsa fuit Carolus Dux Burgundiæ ut potentissimus, sic effreni superbiã audacissimus, Cum enim, nescio quã *κενοδοξομανία* stimulatus, Helvetios (quorum deprecatores confessi erant, tantam esse ipsorum inopiam, ut calcaria & equorum frena, per ipsius exercitum pluris deberent existimari, quàm omnis ea pecunia, quæ ex ipsorum agris cogi posset) Anno M CCCCLXXVII, ad Nancejum prælio esset adortus, ab ipsis amisso milite & thesauris omnibus miserabiliter fuit trucidatus, illustri exemplo, quò tandem recitant Principum consilia, si infano quodam bellandi æstu effervescentes, coeco impetu se suosq; in pericula præcipitent. (k) Quod cum probè nosset Hannibal, ipsa experientia prudentior factus, apud *Livium* (l) Scipioni sic loquitur: *Maximæ cuiq; fortune minimè credendum est, melior tutiorq; est certa pax, quàm sperata victoria.* Princeps bellum quoddam suscepturus, opes & thesauros suos, quos *ὅσα ἔσται πόλις* quondam dixit Demosthenes, ita proferat necesse est, ut quando aut ubi illos sit recuperaturus, sæpè cum ignarissimis nesciat. Notum est, invictissimum illum Imperatorem Carolum V. censuisse, tres potissimum belli nervos esse, *commeatum, pecuniam, militem.* (m) Sed quanta æraria brevi tempore exhaurit vasta illa bellua bellum? quib; deficientibus aut militum seditiones expectandæ, aut expeditionis

(k) Vid. Ludov. Comin
Hist. Lib. VII,
& Mich.
Sterler,
Chron.
Nüchtland,
P. I. Lib 6,
fol. 269,
(l) Liv. Lib.
XXX. c. 30,
p. 760.
(m) Zenoc.
Lib. v. Vit.
Carol,

ditio non absq̄ve de decore intermittenda, aut pax inhonestā amplectenda. Casimirum IV. Poloniae Regem, in tantas propter continua quae gesit bella, rerum domesticarum angustias incidisse legimus, ut mensales sumtus sustinere vix ac ne vix quidem potuerit. (n) Perindustrius ille antiquitatum historicarum indagator, *Paulus Langius*, Monachus Pozaviensis, in Chronico suo Citizenensi (o) de Alberto Saxoniae Duce, & fratre Rudolphi Electoris scribit, quod propter continua bella plurimum (sunt verba Autoris) depauperatus fuerit, ut vix quatuor cum equitibus equitare potuerit. Philippum II. potentissimum illum Hispaniarum Monarcham quis consideret, ille cura mollioribus remediis Belgas in officio continere potuisset, durioribus illos coercere consultum putavit, quamvis enim MMMMDXLIX. ducatorum milliones (ut loquuntur) in bellum adversus istos effuderit, attamen jugo iterum suo subicere non potuit, frustra tantā pecuniarum vi consumpta, tantoque sanguine effuso. (p) Non invenustē itaque de iis, qui incerta commoda non minimo sectantur discrimine, cum Augusto dicere possis, quod similes sint aureo hamo piscantibus (q) aut pro re nata ad plices illis, quod Demetrius Phaleræus apud *Athenæum* (r) de Alchymistis protulit; ὅτι πολλὰ κίς καὶ ἀναλώσονται τὰ Φανερὰ τῶν ἀδήλων ἐνεκα, αἱ μὲν ἐμελλον εἰκ ἐλάβον, αἱ τε εἶχον, αἱ πεβαλον, i. e. quod frequententer certis consumtis incertorum gratia, quae se capturos sperabant, non ceperunt, quae verò habebant, abjecerunt. His addimus, quod Princeps πολειομανής, sapissimè poenam talionis divinitus immissam, sentire cogatur, juxta illud Jesaiæ (s) *Vae tibi vastatori, nonne & tu vastaberis? & tibi, qui in alios impetum facis, nonne & in te impetus fiet?* Quid enim in Historiarum monumentis frequentius exemplis istis, quae docent, multos,

(n) Schickf. Chron. Siles. Lib. I. c. 37. f. 142.
(o) ap. Pistor illust. Germ. Script. f. 834

(p) Em. Mezeran. Lib. xx. Hist. ad Ann. 1598.
(q) Suet. in Aug. c. xxv.
(r) Athenæ. Lib. vi.

(s) Jes. xxxiii. v. 12.



qui vulturninâ quâdam βαλμύα aliorum terras & regiones
 ingressi sunt, ex illis rejectos, amisisse proprias? Quis in
 historiarum Gallicarum lectione tam parva confecit spa-
 cia, ut nesciat, in bello illo, quod Carolus V. Imp. & Fran-
 ciscus I. Galliae Rex, superiori seculo inter se gessisse legun-
 tur, intra viginti & duorum annorum spacium, ducentas
 civitates, & supra tria millia arcium bene munitarum, dis-
 jecta & devastata fuisse, ut silentio involvamus jacturam
 humani sanguinis, supra ducenta enim hominū millia bel-
 lo isto periisse, *Paulus testatur Jovius.* (t) Verūm ponā-
 mus, nihil periculi esse extimescendum Principi bellum ge-
 sturo hac ex parte, quis quæso olim in extremâ Universi hu-
 jus πανολεθρία, justissimo judici rationem reddet, de tantâ
 sanguinis temerariè & injustè effusi copiâ? de tot flagitiis,
 sceleribus, & ipso stupescente cælo admisis piaculis, quæ
 forsan supremum illud Numen ad iram nunquam provo-
 cassent, si ambitionis suæ impetum frenare voluissent, phaë-
 thontes isti orbis, qui quasi proprium sibi fecerunt illud,
 Homericum: ἀβὺν ἀρσεύειν, καὶ ὑπήροχον ἔμμεναι ἀλλῶν. Quis
 non exhorrescit legens, superiori seculo, intra duorum &
 viginti annorum spacium, initio scilicet sumto ab anno
 MDLXII. usque ad annum LXXXIV. in Galliâ quadra-
 ginta centum millia hominum variis pœnis & bellorum turbinib9
 fuisse absumta? (u) Quis non contremiscit intelligens, in
 prioribus viginti quinque annis belli Hispanico-Belgici ex I-
 berorum tantum parte, centum Hispanorum millia, cum
 tanta aliorum militum copia, ut numerus ad decies centena
 millia excreverit, fuisse interfecta. (x) Quis non expave-
 scit, percipiens, Ducem Albanum, πηλὸν αἵματι πεφύραμένον,
 A. C. MDLXXIII. Comiti Coninchstenio cum jactatio-
 ne retulisse, se octodecim hæreticorum millia (sic invidiosè
 tradu-

(t) P. Jov.
 Lib XLII.
 Hist. fol. 297

(u) Herm.
 Latherus de
 Censu, Lib.
 II, c. 9, n. 28.
 p. 324.

(x) M. Zei-
 lerus Cent.
 V. P. 2. Epist.
 484, p. 600,

traducebat eos, qui ab Ecclesiâ Romano-Catholicâ seces-
serant) ministerio carnificis extinxisse, non numerato san-
gvine, quem in bello profuderat. (y) Quid de bello illo
tricennali dicamus, cujus incendio Germania patrum no-
strâqve memoria tantum non conflagravit? Quid de bel-
lis nuperrimis, à tot Regum & Principum Christianorum
exercitibus in Belgio, Alsatia, Pomeraniâ, aliisqve regioni-
bus, maximo cum incolarum cordolio gestis? Horret ani-
mus & obstupescit manus ad tristissimarum rerum memo-
riam. Non itaqve errabimus, si cum *Theophylacto Simocatta*
(qui circa An. Christi DCXII. floruit, & inter alia de rebus
gestis Mauritiî Imp. historiam octo libris constantem con-
tesellavit) (z) bellum vocemus τὴν δεξαμενὴν τῶν κακῶν, τῶν
πάντων τῶν δυσυχνημάτων, ὡς ἴσιν εἰπεῖν, κατὰ γῶγιον, τὸ ἀρχέτυ-
πον τῆς βίης ληστρίας, i. e. cisternam malorum, omnium, quæ dici pos-
sunt infelicitatum diversorium, & vitæ prædatoriae exemplar. Quæ
perfectò rationes tantæ sunt, ut Principem Christianum fa-
cile à periculofissimo illo bellandi studio, quo proh dolor!
non pauci sunt correpti, revocare queant.

Animus erat exempla subnectere eorum Principum,
qui bellum cane pejus & angve fugientes, pace nihil an-
tiquius habuerunt, sed temporis chartæqve angustia id
prohibet. Commisimus itaqve id officii quibusdam ex di-
scipulis nostris, qui exploraturi, quid in palæstrâ oratoriâ
valeant, quid ferre recusent humeri, cras in primariò ædiũ
scholasticarum auditoriò, cathedram cõscendent, sequen-
ti ordine verba facturi; Et ovidem

JOHANNES *Heinicke/Trebenfis* Misæ, enarrabit in
commoda belli, & pro ingenio atqve viribus ostendet,
quod jure optimo ultimis accensendum sit malis. Hunc
subseqvetur

[y] Joh. ã
Sande Hist.
Belgic. Lib.
1. p. 13.

(z) Teoph.
Simocat. lib
III. c. 9. Vid.
de eod. Jos.
Arndii Le-
xic. Antiq.
p. 1043.

CHRI-


Barth. Ad-
vers. Lib.
XXXIV. c. 14.
col. 1569.

(bb) Brunn.
Annal. Boj.
Lib. IX. c. 4.
p. 729.

CHRISTOPHORUS Börnigen / Altenburgensis,
cui demandatum, ut insignes illas aureæ commoditates pa-
cis καδδύναμιν explicet, ostendatque, optimam illam esse
rerum, quas homini novisse datum est, & quam ideò mo-
nente Barthio (aa) Euripides καλίστην θεῶν adpellaverit. Hu-
jus oratione finitâ, se exhibebit

GOTHOFREDUS Benich / Vandalò Leubanus, qui
considerans, pacis semina hyeme jacta, æstate sapius in bella & fer-
ream messem maturescere, (ut de Boleslai Poloniæ regis pactis
Andreas Brunnerus (bb) loquitur,) media non nulla tam
Theologica quàm Politica proponet, quibus pacis tran-
quillitas facta tectâ retineri possit Tandemque

FRIDERICUS LEONHARDUS Schneyer / Tre-
bensis, conscensâ cathedrâ, primùm Deo pro concessis ha-
ctenus terris hisce halcyoniis, & deinde Auditoribus pro
favore, tam promptè accedendo quàm benevolè audiendo
exhibito, debitas exolvat gratias. Ad hanc solennitatem
scholasticam, Musarum nostrarum Patronos & Fautores
omnes atque singulos, eâ quâ par est, humanitate atque ob-
servantia invitamus, efflictim rogantes, ut die crastini circa
horam I. pomeridianam, in primæ classis auditorio com-
parere, Tironibusque nostris vacivas aurium ædes bene-
volè commodare velint, Suscitabit honorifica ipsorum
præsentia nos, nostrorumque studia, ut in posterum plura
& forsàs elegantiora aggrediamur, tantique affectus & be-
nevolentia memoriam nulla unquam apud nos dele-
bit oblivio. PP. Altenburgi, ipsis Idibus Mar-
tii, Anno Messiano M DC LXXX.



90 A 6706

ULB Halle 3
002 916 622





56

Retro V

VDMA







Farbkarte #13

B.I.G.



49

tionones

ALLO ET

CE,

rgensium Schola,

is pomeridianis be-

diendas,

riæ Patronos, Fau-

rbis incolas erudi-

er & officiosè

itat

ANIEL ERNESTI,

tor.

BURGI

chteri, Typogr, Ducal,

